



**I**acobus Andernaci apud Belgas honesto loco natus & educatus fuit. Is literarum amore sese hinc inde ad varias nationes contulit, & Academi-  
 as inuisit. In ijs cum diligentem operam literis nauaret, atq; legendo & disputando sese indies exerceret, tandem in talem uirum euasit, ut etiam doctissimis annumeraretur. In primis uerò dicendi artes excoluit, atq; in ijs adeò profecit, ut etiam aliquot Ciceronis Orationes Commentarijs illustrarit. Postea quoq; Legibus operam dedit, & solerti studio effecit, ut I. V. Doctor crearetur. Id cum Vuilhelmus dux Cliuensis intellexisset, eum inter consiliarios recensuit, & res magnas expediendas commendauit. Quin etiam Coloniae publicè docuit, atq; sua eruditione sibi magnum nomen comparauit. In eo loco de Elocutionis imitatione, atq; de officio & potestate principis in Republica benegerenda aliquot libros scripsit, æditos Basileæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo. præterea de usurpatione Legum, & eorum studijs, qui Iurisprudentiæ professionem sibi sumunt, id què libris octo. Itaque factum ut Iacobus ingenij sui monumenta omnibus significarit, & doctis gratissimus extiterit. Con-  
 Gest. Anon.